



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Dum exequiæ celebrantur, magnus fit populi concursus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

breuī flosculi omnes (qui corpori erant asper-  
fi) fuēre diserpti. Ablata ei sunt paruum  
Crucis sigillum Rosariumque quæ manu te-  
nebat; pileus, & crepidæ; sæpius verò preca-  
riæ coronæ in manibus eius commutatæ, no-  
uæque semper ab ijs qui priores auferebant,  
in earum locum substitutæ.

Funebres preces præiuit P. Busæus Ger-  
manicarum rerum Assistens, super togâ sto-  
latus, ministrantibus contubernalibus Ioan-  
nis. Rebus omnibus apparatus, referatæ sunt  
Templi fores, ingensque irrupit multitudo.  
Summa initio quies fuit: at mox, vbi externis  
deosculandi manus, corpusque coronis pre-  
carijs attingendi facultas data est, iam nec  
secundis vestibus temperarunt; tantusque ex-  
stitit repente comprimentium impetus, ut  
non modò quaterni Patres obruerentur, sed  
neque deni refisterent violentiæ populari.

Conuenerant omnis ordinis conditionis  
que homines, Religiosi varij præcipuarum  
etiam Familiarum, qui venerabundi, mor-  
tuó manus dissuauibantur, coronisque Ro-  
sarijs contingebant; ac Reliquiarum nomine  
particulam aliquam vestium modestè flagi-  
tabant; dicentes videri sibi vel ex ore mor-  
tui splendorem quemdam sanctitatis etiam-  
num elucere.

Precum cærimonijs finitis, in vestiarium  
necel-

necessariò corpus deferendum fuit , quod spoliantium religio nudum propè reliquerat, atque hīc non à nostris domesticis modò, sed à præcipuæ dignitatis viris , qui confertæ illi multitudini cesserant , religiosè contrectatum fuit . Nonnulli ingentem Rosariorum numerum ad affricandum, quidam annulos ad induendum digitis; alij strophiola ad contingendam faciem comportarant: quin tanta fuit venerantium multitudo , vt sæpiùs corpus in Templum efferre denuò coegerint clarissimorum virorum vota.

Cùm verò increbuisset fama , eo vespere sepultum iri ; nonnulli dignitatibus illustres oratum misere , vt in auroram sequentis diei sepultura differretur, quòd videndi eius desiderio maximo tenerentur. Id quod, cùm ne aliter quidem fieri posset , ex more Ecclesiastici ritùs , definientis diem totum mortuo dari insepulco ( Ioannes autem horis vixdum duodenis viuuus esse desijsset ) eorum simul precibus condonatum est. Noctu , digressis omnibus , Sacerdos Templi Ædilis , sicut priùs è gipso formâ capitis , corpus diffecari fecit , in quo nullum recentis morbi deprehensum vestigium , præter exiguum aliquam pulmonis lienisque inflammationem . Romanum quippe ut è Belgio primùm venit, corpore erat lactis succiique pleno ; at mox

O 2

Romæ